

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**INITIO MENSIVM  
FINE MORBORVM,**

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE  
**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO,  
MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.  
COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

*Domino Patrono, Preceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

*Summiſque in Medicina Honoribus & Privilegiis Doctoralibus legitime impetrandis,*  
HORIS LOCOQUE CONSUVETIS, ANNO MDCCXXVII. D. DECEMBER.

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBICIET

AUCTOR ET DEFENDENS

**JOHANN ADAM HARTMANN BREBISIUS,**

MÜNCHBERGA - BARÜTHINUS.



HALÆ MAGDEB. LITÆRIS HENDELIANIS.



47

DISSERTATIO INANIGURALIS MEDICA

# INITIO MENSIUM FINE MORBORUM

DR. D. MICHAELIS ALBERTI

PRO GRADO DOCTORIS

JOHANN ADAM HARTMANN BRIBIUS





## PRO O E M I U M.



I quid unquam potest inveniri,  
quod inestimabili corporis humani  
quam maxime inservit salutis, profecto  
ipsa est Natura, siquidem luce clarius  
apparet meridiana, quod ista non eam  
solum materiam, quæ conservationi  
corporis singulariter conducit & vale-  
tudinem mirifice promovet, libenter re-  
cipere & fovere soleat, sed quod omne

etiam objectum corpori suo vel molestias afferens, vel plane tri-  
stem interitum minitans, tantis, quantis potest expellere conten-  
dat viribus. Hanc igitur incredibilem quantam Naturæ esse vir-  
tutem, ut ista, quæ integræ hominis salutis nocent, sedulo remo-  
veat & quasi evomat, quilibet, in quo aliquid tantummodo resi-  
det ingenii mecum ingenue confiteri non erubescet. Nonne  
nim hæc admirabilis & præstantissima quædam est virtus? quam  
in vomitu, ex nimia aut ciborum, aut potulentorum ingestione  
existenti præstat, & ostendit: quod si non faceret, quantum inde  
veniret damni, & quam pestifer inde oriretur morbus, sufficienti-  
bus non potest exprimi verbis.

A 2

istud

istud, ex cujus nimia abundantia varia morborum genera profluere solent, remouet: ita etiam sæpenumero, ne nimia sanguinis copia membra sic obruantur, ut inde multas sentiant molestias, multaque experiantur incommoda, hæmorrhagiam, quæ facit, ut sanguis superflua abducatur, instituit. Quod si enim sanguinem accuratiori consideremus mente, & ejus principia constitutiva paulo exactius perpendamus, statim videmus, istum vi combinationis suæ commode posse efficere, ut corpus non multis solum & variis gravissimis implicetur morbis, & acerbis defatigetur cruciatibus, sed etiam ut omnes ejus vires debilitentur, & plane destruantur; siquidem neminem Medicorum fugit, quod sanguis ex triplicibus & aliquibus contrariis constet principiis, quæ ad firmam inter se connexionem seruandam plane inepta existunt. Compositus enim sanguis in se continet, aquam, Lympham, & Sanguinem strictè ita vocatum, qui seorsim consideratus terreo-oleoso-aqueam substantiam nobis ob oculos ponit: notum autem est, quod hi humores diffi. illime commisceri possint, & quod conceptam schesin. nisi perpetuo circumagitantur motu, iterum admittant. Sicut enim omnes oleaginosa, vel pingues substantiæ cum aqueis, non facili labore, sed sedula & frequentissima agitatione quadantenus coniunguntur: ita res etiam sese habet cum ambobus, de quibus jam mentio facta est, humoribus, nimirum cum humore aqueo, & lymphâ tanquam liquore oleoso-pingui. Quapropter Naturam, quæ præses quasi est corporis nostri, maxime opus habere existimo, ut in conservando & promovendo motu sanguinis circulatorio strenue laboret, ne supra recessiti humores in tota sanguinæ crasis massa turbas excitent tristissimas, & ne damnosam contrahant confusionem, quæ partes corporis solidas ad subeundam ulcerosam vel putredinoso-sphacelosam corruptionem facile posset disponere. Nam si massa humorum, præcipue vero sanguinis in corpore nostro sive ex lauta diæta, sive ex neglectu hæmorrhagarum tam naturalium quam artificialium, sive ex alia causa ita superflue adaucta est, ut abundet, tunc luculenter nobis conspicere licet, istam abundantiam.

tiam, uti omne nimium vertitur in vitium, Naturæ plus damni, quam salutis afferre, & eam in motu rite administrando circulatorio quam maxime impedire, dum nimirum aucta mole sua vires corporis vehementer aggravat, & ita supprimit, ut omni plane destituantur vigore. quo tandem fit, ut non sanguis modo in partibus poroso-cibroso-carneis, sed & in minimis estagneſ vasculis, secessus efformet, spissitudinem inducat densissimam, & nisi rebus sic se habentibus per debita auxilia adferatur cito medela, infarctus, & obstructions se se exerunt, & demum ipsa existit stasis, quæ innumera corpori parit detrimenta. Quapropter istam admirabilem Naturæ virtutem, quam in imminuenda massæ sanguinæ exuperantia per hæmorrhagiarum administrationem præstat, satis digna non posse extolli laude arbitror. Superfluum enim sanguinem acerbissimorum matrem quasi & genetricem esse morborum, non possum non aperte confiteri. Falsam idcirco Helmontii sententiam, qui sanguinem sensu excellentiori thesaurum vitæ putat, maxime reprehendendam, & plane rejiciendam esse censeo: quia sane nebula est, & firmo rationis lumine caret: quod si enim hoc assertum integræ consentiret veritati, sequeretur inde, ut per majorem sanguinis copiam inestimabilis hominis sanitas multo commodius conservaretur, & vita per longius temporis spatium protraheretur. Cum autem experientiam contrarium testari videmus, merito ab hac sententia, nulla solida ratione suffulta discedendum arbitror, & optimum & saluberrimum consilium esse puto, ut ipsum Naturæ ductum sequamur, qui statim ab ineunte ætate abundantæ sanguinis copia corpus liberare hominis præcipit, ne inde multi, & varii molesti proveniant morbi, qui vires & artus tam vehementer excruciant, & debilitant, ut sæpius nullam pristinæ recuperandæ salutis spem reliquam esse, videatur. Quam ob causam in prima statim pueritia Natura nobis singularem & admirabilem hæmorrhagiarum ordinem ostendit: primo nimirum hæmorrhagiam producit narium, cujus quidem multæ asseri possent rationes, hac autem unicatantum, quia festinatio prohibet, contenti esse volumus. Nam isto

isto tempore infantes non modo ab intra varias ediscendo & imi-  
 tando labores atque lectiones caput vehementer ita exagitant, ut  
 insignis in illo humorum existat affluxus, sed ut etiam ab extra  
 multis læsionibus, sicuti contusionibus, collisionibus &c. haud in-  
 frequenter affligatur, & quod superest, sæpenumero videmus, quod  
 infantes non raro denudatum, & liberæ solis irradiationi exposi-  
 tum gerant caput, fieri aliter hac re non posse existimo, quam, ut  
 Natura sanguinem circa hanc partem collectum, cum imprimis  
 illam hoc ætatis termino in moribus cum capite singulari habere  
 commercium, constet, per nares excernat. Dum autem pueruli  
 temporis progressu quoad partes inferiores magis magisque firmi &  
 robusti redduntur, tunc istos a supra indicatis injuriis liberari,  
 patet, & dum caput, memoriamque ediscendo diutius exercere ab-  
 stinent, hæmorrhagias caput deserentes ad inferiores corporis re-  
 giones descendere, & imprimis pectus aggredi, neminem Medico-  
 rum esse posse arbitror, quem fugiat, licet quidem non inficias  
 ire possim, hæmorrhagiam narium frequenter non ex puericia  
 solum & adolescentia in juventutem, sed in postera etiam anno-  
 rum septenaria transferri. Quod si vero juvenili ætate sangui-  
 nis e pectore eruclationem producat, & gignat Natura, tunc il-  
 lam sanguinis excretionem a Medicis hæmoptysin nuncupari,  
 constat, cujus nexum causalem una cum ætiologia vomitus, ac mi-  
 ctus cruenti, sudoris sanguinei, &c., quoniam hæc omnia ad suspi-  
 ctarum hæmorrhagiarum censum pertinent, merito silentio præ-  
 tereundum esse censeo, & de iis saltem mentionem faciendam  
 esse puto, quæ tam ratione temporis invasionis, & recursus, quam  
 ratione loci, ex quo contingunt, utiles dici possunt: ut sunt fluxus  
 hæmorrhoidum ac mensum legitimus. Quapropter me ad alteram  
 salubrium hæmorrhagiarum speciem, postquam de priori na-  
 rium nempe hæmorrhagia verba quædam feci, converto, nempe  
 ad legitimum hæmorrhoidum fluxum, qui eo tempore communi-  
 ter se exerit, quo viri in procreanda sobolis negotio maxime  
 sunt occupati, hinc anno quadragesimo iste fluxus ut plurimum  
 conspici licet, quo ætatis termino quoque vecturæ & equitationes ad



ad hunc excitandum affectum haud raro dant ansam. Durat vero hic sanguinolentus fluxus nisi aliis intercipiatur, & impediatur irregularitatibus, frequenter satis per reliqua annorum lustra, usque ad feram senectutem, cum euphoria illorum, qui hos affectus sentiunt. Tandem vero ad notabilem hæmorrhagiam fequiori sexui solummodo propriam, ad menstruum nempe ex genitalibus sanguinis profluxum venio, istum homines feminini sexus eo præsertim experiuntur tempore, quo viri potentes, & ad generationis habiles evadunt negotium. Hinc initium suum ordinariæ fluxus iste sortiri solet incunte pubertatis ætate, anno nimirum decimo quarto, a quo usque ad quinquagesimum perdurat annum, & singulis mensibus ita suos efformat & producit recursus, ut per trium septimanarum spatium cesset, quarta vero septimana fluere & manare rursus incipiat: rationem autem, cur sanguineus ille e genitalibus mulierum fluxus menstruum fervet periodum, quia tempori parcere opus habemus, silentioque præteriamus, & benevolo Lectori *Celeberrimi Dn. D. Stablii dissertationem*, quam *de fluxu mensium secundum & præter naturam* succedente, habuit, maxime commendamus. Nos tamen interim de exitibus congruarum hæmorrhagiarum utilitatibus, quas profecto singularis esse momenti, censemus, quædam adjungere volumus. Non congruæ enim hæmorrhagiæ solum a plurimis ex plethora tantum quam ex multorum malorum fonte profluentibus periculis corpus tuentur nostrum, & istud per longum temporis spatium saluum & incolume servant; sed & illud, si ab aliquibus aliorum malorum occupatur speciebus, rursus ab iis liberant, & in pristinos euphoriam reducant cancellos. Sicuti Natura enim, si artificiali modo superflua sanguinis copia subtrahatur, non parum levaminis in administranda œconomia sentit vitali; ita etiam illi per spontaneas, & ab intra succedentes congruas hæmorrhagias multum afferitur commodi, & salutis, quoniam istæ cum prioribus unum eundemque respiciunt finem. E contrario autem, si per congruas hæmorrhagias, tam artificiales, quam spontaneas non tam salubriter

briter corporis saluti consuleretur, profecto multi periculosi, uti ex Medica praxi constat, existerent morbi, ut sunt dolores capituli tensorii, pressorii, pulsatiles, æstuant, pungentes, & vertiginosæ ejusdem perturbationes, itemque ophtalmia, otalgia, odontalgia, coryza, phlegmatorrhagia, gravedines, partium glandulosarum inflationes, nec non pectoris oppletoria incommoda, asthmatica, spastica, pleuritica, peripneumoniaca, cordis palpitatoria, & quæ sunt alia, præterea etiam vicinarum partium ægritudines, præsertim ventriculi cardialgia, interdum etiam vomibunda pathemata, ut & hypochondriaci hysterici, torminosi, colici, tenes modici, splenetici, hepatici, nephritici affectus, porro externarum partium lassitudines, gravativæ sensationes, itemque spastica tractiones ut arthritica, podagrica, ischiadica afflictiones, convulsiones, febres ac inflammationes &c., a quibus recentis malis omnibus hæmorrhagiæ corpus nostrum saluum tutumque conservare valent. Ne autem quæstionem quis movere opus habeat: num indistincte quævis hæmorrhagia istos, quorum mentionem fecimus, auferat, & suffocet morbos, an non? Sequenti responsione nostram explanamus sententiam, dicendo: quod quædam hæmorrhagiæ speciales quarundam corporis partium morbos tollant, & sanent, quædam vero plura morborum genera, quibus universum corpus obnoxium est, depellant. Ad priorum classem merito hæmorrhagia refertur narium, quæ præsertim capiti, si dolore ex nimio sanguinis confluxu existenti excrucietur, singulariter proruptione sua prodest, & angorem mirifice imminuit, id quod etiam propria istorum hominum, qui ejusmodi gravissimis affliguntur, & exagitantur incommodis, attestatur confessio, cum ardentissime hæmorrhagiæ narium proruptionem optant, & anxie efflagitant, dicentes: Wenn sie nur aus der Nasen bluten könnten, so würde ihnen der Kopf viel leichter werden. Ex quibus satis superque patet, hæmorrhagiam narium doloris capitis saluberrimum esse remedium, ut & huc pertinet hæmoptysis, vomitus cruentus, ac mictus cruentus, hæc licet hæmorrhagiæ ratione incongruorum locorum, per quæ erumpunt, maxime

xime sint periculosa; aliquando tamen extra ordinem, salubritatem corpori hominum conciliant, & morbosa quaedam pathemata solvunt. Nequaquam autem de his hæmorrhagiis sentiendum, ac si utilitates earum annotatis solummodo proprie essent partibus, siquidem multiplex testatur experientia, quod illæ istos non modo, qui remotas corporis partes, sed istos etiam, qui totum excruciant, & graviter affligunt corpus, aliquando auferant morbos, id quod evidenter ex hæmorrhagia videmus narium, quæ sæpius præter capitis afflictiones, & pectoris ac pulmonum pleuritica, peripnevmoniaca, & asthmatica incommoda, item febres præcipue sanguineas, &c. curat. Tandem ad istam salubritatem, quam proruptio fluxus hæmorrhoidalis parit, me converto. Hunc idcirco sanguinolentum fluxum ad antecedentium hæmorrhagiarum numerum minime referendum esse, censeo, propterea, quod non minus quarundam partium corporis tollit morbos, quam totius corporis incommoda imminuit, & suppressit: quapropter istum nobili illarum hæmorrhagiarum, ex quibus totius corporis partes salutem haurire solent, merito accensendum esse numero arbitror. Res enim per se clara, & nota est, quod ille præter hæc in vena portæ se se exerentia pathemata tam partium inferiorum horrendos, ut ischiadicos, gonagricos, podagricos, rhevmaticos, œdematosos, varicosos affectus, quam etiam superiorum, ut capitis, pectoris, extremitatum congestorias, inflammatorias, rhevmaticas, serofas, spasticas molestias, nec non externum habitum corporis defœdantes & affligentes cacochymicos, cachecticos epilepticos morbos, non minus etiam febres quasdam, ut & nonnullos animi affectus, v.g. maniacos, melancholicos &c. extinguat & depellat, & longævitatem hominibus conciliet, id quod etiam *Dn. D. Præses* optime & erudite demonstravit in *Traclatu de Hemorrhoidibus* P. I. p. 99, it. p. 147. §. XXVII. & p. 400. §. XXIV. p. 412. §. XXXVIII. Admirabilem autem hæmorrhoidum fluxum salubritatem singularis menstrui fluxus longe superat præstantia, quæ miseris foecacillis morbos secundum Hippocratem propter

uterum bis patientibus præcipuo esse solet solatio: quapropter etiam, si ante ejus prorupcionis terminum maximis affligatur corporis torminibus, omnem in eo fluxu spem ponunt, fore, ut per istum ab istis acerbis liberentur cruciatibus, id quod etiam propria illarum verba, quæ sub anxia primordialis eruptionis fluxus illius expectatione eloqui solent, satis attestantur, hoc quod veritati sit consentaneum ipsa experientia tanquam rerum magistra, nobis abunde commonstrat. Hinc rem omnibus modis absolutam & veram esse, quis est, qui neget? quod initio mensium non multa modo præoccupentur, sed etiam actu præsentibus foeminarum afflictiones curentur, ut sic initium mensium non immerito dici possit finis præviorum morborum. Quapropter dissertationem, speciminis inauguralis loco, de utilitate initii mensium, quoniam hanc non satis hæctenus explicatam esse sentio, conscribere conatus sum, & quædam de *initio Mensium, sine morborum* disserere non dubitavi. In hac tractatione autem sequentem servavi ordinem: ut primo generalis initii Mensium usus demonstrarem, hisque speciales adjungam; denique etiam ostendam quomodo therapeutica methodo illa obstacula, quæ huic remoram ponunt, & sæpius efficiunt, quominus ista Mensium hæmorrhagia præscripto a Natura termino legitimum nancifatur successum; commode possint removeri. Quod autem superest, *summum & omnipotentem Deum*, qui mihi Medicinæ Studiis hæctenus operam navanti benedictione adfuit sua, ardentibus efflagito precibus, ut etiam hos meos coematus gratia secundare velit cœlesti.

§. I.

**S**I quid est, quod valetudini foeminarum mirifice conducit, & istarum corpus a variorum molestia morborum liberat, profecto istud saluberimum Mensium esse initium, existimo: hoc quod veritati sit conveniens, non hodie solum Medici summa

ma experientia & excellenti præditi doctrina ingenue  
 fatentur; sed jam jam antiquis etiam temporibus Medi-  
 cos laude eruditionis præstantissimos illud, quod scili-  
 cet initium Mensium finis sit præviorum morborum,  
 cognitum perspectumque habuisse, ex Hippocratis ver-  
 bis, quæ in ejus *V. aphor. 57.* inveniuntur, satis abunde  
 que colligere licet. Dixit enim senex *l. c.* *Si mensura*  
*non fiant, ex utero morbi contingunt,* quibus indicare voluit,  
 primordium etiam *κατα μήνας* ad sanitatem foeminarum  
 integram salvamque conservandam & ad morbos a de-  
 bili istarum corpore arcendos maxime idoneum & pro-  
 ficuum esse.

§. II.

Id ipsum quoque experientia innumeris firmis ra-  
 tionibus, & medicis observationibus munita confirmat,  
 & ad hæc dilucide demonstrat: quod primordialis  
 mensium eruptio præter istam, de qua jam supra mentio  
 facta, lubricitatem, quam in corroboranda valetudine &  
 in tuenda ab ingruentibus morbis sanitate præstat, alia  
 adhuc excellentiori gaudeat utilitate, quam in remo-  
 vendo, ac sanando morbos actu præsentis & corpus  
 puellarum graviter exeruciantes sufficienter nobis o-  
 stendit.

§. III.

Quapropter ratione atque experientia fretus uti-  
 lem initii Mensium effectum illum, quem in plenaria in-  
 numerabilium morbosorum pathematum extinctione  
 exhibet, in præsentis dissertatione paulo exactius per-  
 pendere & in eadem *de initio Mensium, tanquam sine plu-  
 rimorum morborum* quedam proponere non dubitavi.  
 Ne quis autem sibi persuadeat, me de quovis Mensium  
 initio hæc in medium protulisse, placuit, statim diffe-  
 rentiam illius rei præmittere, quo inde diversus etiam  
 effectus eo melius, eoque facilius elucescere possit.



§. IV.

Est itaque initium Mensium vel regulare, vel irregulare, vel salubre, vel morbosum.

§. V.

Sub priori intelligitur primordium Mensium, quod statim atque ordinato ætatis termino, quo puellæ viri potentes, & ad difficile generationis negotium subeundum & perferendum idoneæ existunt, in conspectum prodire solet. Istud enim fieri annotamus sub fine secundæ, aut initio tertiæ septenariæ, anno nimirum 13. 14. 15. quod autem alterum, irregulare scilicet, attinet, istud ordinatum & moderatum eruptionis terminum servat neutiquam, sed, vel citius, vel tardius prorumpit, prætereaque vel excessive, vel insufficienter, vel per extraordinaria sæpius loca succedit, ex quibus anomalis successibus sole clarius apparet, quod ad classem irregularitatis pertineat.

§. VI.

Cum priori, nempe regulari, singulariter conspirat salubre Mensium initium, quod non modo debito tempore prorumpere incipit; sed etiam tacite, placide, ac sufficienter succedit, atque decurrit, istaque incommoda, quæ præcessu ex plethora, tanquam innumerorum malorum fonte promanarunt & suborta sunt, imminuit, & aufert, nec non reliquo tandem ordinato suo recursum tantum foeminae affert emolumentum, ut per maximum vitæ spatium salva valetudinis frui possint prosperitate. E contrario autem morbosas mensium primis cum irregulari Mensium initio magna ex parte convenire constat. Consistunt vero istæ præcipue in anomalico, ac irregulari accessu, successu, ac decursu Mensium, quibus omnibus multæ foemellis contrahuntur molestiæ, multique conciliantur cruciatus.

§. VII.

§. VII.

Hæ sunt itaque diversæ initii Mensium species, secundum quas etiam discrepat ejusdem effectus. Hinc, si in præsentî tractatione de salubri primordii Mensium effectu sermo occurrit, non quamvis Mensium primam eruptionem ad illum effectum obtinendum idoneam, me putare, velim existimetis; sed ad illum assequendum adæquatam causam (qualis est salubre Mensium initium, de quo in superioribus dictum) necessariam esse, quilibet facile judicare poterit.

§. VIII.

Interea tamen negandum non esse arbitror, quod aliquando ex tali Mensium initio, de quo non modo nil utilitatis, sed potius multum detrimenti speratur, (quoniam istud a recto salubris primordii Mensium tramite ut plurimum remotum esse patet) notabilis emergat salubritas: uti hoc ex serotino Mensium initio videre licet, quod non raro gravissima præcedant morbo-  
sa incommoda, quæ ad plenariam usque eruptionem perdurant: quando vero illam actualiter cum insequenti, legitimo, sufficienti, ac ordinato successu, atque recur-  
su nanciscitur, plurimos præviorum morborum auferit, eorundemque recursum præscindit.

§. IX.

Hanc igitur ob causam in hæc tractatione præter salubris primordii Mensium utiles effectus, illas quoque utilitates, quæ a serotina Mensium prima eruptione provenire solent, insimul annotabo, easdemque tam firmis rationibus, quam veris medicis observationibus corroborabo.

§. X.

Prius autem, quam ad propositum meum progrediar, quædam adhuc breviter circa rubricam hujus dissertationis monere, necessum puto, ne contrarius ex eadem

dem elici possit sensus. Pro mea enim tenuitate promisi quædam *de initio Mensium sine morborum* differere & in lucem conspectumque proferre. Cum vero initium Mensium nequaquam omnium, quamvis multum secum ferat salubritatis, præviorum in quovis subjecto morborum, ob contrariam experientiam, finem dici posse, arbitrò: hinc in rubrica initii Mensium allegatum prædicatum minime generice, ac universaliter esse accipiendum, indicare volui; siquidem neminem prædicorum fugit, quod in diversis subjectis morbi quidam, qui ante primam Mensium eruptionem jam jam adfuerant, post legitimum ejus successum, ac decursum molestis suis afflictionibus continuare soleant: ut morbi hæreditarii, item motuum vitia, ex animi pathematibus suborta, &c.

§. XI.

Sicuti enim non omnes cujuscunque generis morbi univocam agnoscunt causam formalem, hinc consequenter non unico sanari & auferri possunt remedio, sed requiritur potius, ut pro speciali discrepantia uniuscujusvis causæ morbificæ, diversa quoque adhibeantur remediorum genera: ita res etiam sese habet, cum morbis primitiis Mensium ante cedentibus, eorundemque remotione, quæ per Menses legitime initiantes, succedentes, ac decurrentes fieri solet.

§. XII.

Itis ergo, quæ circa hujus dissertationis præliminaria monere necessum duxi, præmissis, ad ipsam admirabilem initii Mensium Salubritatem explanandam, & ad eandem in sequentibus tam in genere, quam in specie considerandam sine ulterioribus verborum ambagibus me accingere non dubitavi.

§. XIII.

Ut autem ordine procedam, mearum esse partium video,



video, ante omnia historicum proponere & explicare conspectum, & in eodem primario exactius pensitare: num incredibile initii Mensium salubritas omnibus subiectis nullo ad temperamentorum varietatem, & ad reliquam circumstantiarum diversitatem habito respectu sit familiaris, an secus.

§. XIV.

Negandum quidem est nequam, utilitatem hanc plurimis sequioris sexus communem esse subiectis; si quidem multa eorum ante primam Mensium eruptionem morbis se implicata esse sentiunt, quibus tandem hac exoptata Mensium proruptione superveniente liberantur: nihilominus tamen quædam horum reliquis in salubritate ista prærogativa antecedunt. Experientia enim & medicæ annotationes satis & superflue testantur, quod initii Mensium utilitas non in omnibus subiectis universaliter & indiscriminatim, uno eodemque modo & gradu sit observanda, sed quod illa secundum diversitatem temperamenti cujusvis individui diversum etiam producat effectum.

§. XV.

Hinc illis femellis longe major & frequentior contingit, quæ paulo activiori nec admodum irregulari & tergiversanti gaudentes indole de temperamento participant cholericæ & sanguineæ, in quibus temperamentis non animus solum & vires, præsentis ad menstruum suscipiendum & exequendum in ejusmodi ægrotatione negotium deprehenduntur; sed ad hunc etiam actum exercendum idonea corporis adest dispositio, quæ tam in partibus solidis, quam fluidis se se ostendit: in fluidis enim singularem habitudinem ad efformandas congestiones, ut per illas hæmorrhagiæ suscitentur uterinæ, adeste constat; in solidis vero notabile fibrarum robur habitare patet, quo congestiones

nes

nes melius & expeditius procedant, & expectatæ vasculorum perruptiones, & humorum in iisdem contentoriam actuales effusiones citius promoveantur; e contrario autem in foemellis phlegmaticis & melancholicis temperamentis præditis salubritas inicianium Mensium tanta non est, quantam quidem in supra annotati temperamenti personis deprehendi, deprædicavi. Non enim in his solum omnis excitati animi vigor, ad actum, de quo supra dictum rite suscipiendum, & legitime administrandum, deficit; sed reliqua etiam corporis constitutio ita comparata observatur, ut ad priorè obtinendum scopum plane videatur inepta. Nam in illis, quæ phlegmatico gaudent temperamento, humores ob fluxilitatis nimietatem genuinam sanguinis non admittunt excretionem, ac superflua sua humiditate efficiunt, quo partes fibroso-carneæ debito destituuntur, & sic ad congestiones allevandas, & actualem sanguinis expressionem excitandam inhabiles evadunt. In melancholicis vero fluidorum singularis crassities ac spissitudo, & excessiva partium densitas & strictura, salubris hujus excretionis initio non mediocrem afferunt impedimentum.

§. XVI.

Porro quoque illis præcipue familiaris esse solet subjectis utilitas hæc, quæ mobiliori paulo indulgent vitæ generi: hoc enim non modo tota massa sanguinea in debita conservatur fluiditate; sed etiam de reliquo omnium actionum vitalium, in specie se- & excretoriarum, hinc & menstruæ excretionis hujus initium, successus, ac decursus acceleratur, atque facilitatur. Neque minus illæ iniji Mensium præ cæteris salubritati obnoxie sunt foemellæ, quæ diæta utuntur lauta, insimul tamen non nimis crassa, atque spissa; sed potius tenui, ac probe diluta, modice spirituoza, aromatizata: nam per diætã talem

talem, uti omnium hæmorrhagiarum, nullo habito respectu ad loca, successus proritur; ita & in specie per eandem hæmorrhagia muliebris menstrua non parum incitamenti accipit: præterea illæ quoque initii Menstruum salubres effectus non infrequenter experiuntur, quæ res sic dictas non-naturales rite usurpare didicerunt, quod enim aer, cibus & potus, motus, vigiliæ, animi pathemata, excreta (si recte applicentur) circuitum sanguinis adaugendo, eoque ipso massæ sanguinæ fluiditatem ac puritatem conciliando; somnus, quies & retenta &c. corpori necessarias vires restaurando, ac conservando ad citiorem imo feliciorẽ hæmorrhagiarum proventum & decursum multum contribuant, ex subsequentiis clarius patefcet. Sic v. g. fœminæ æri temperatori, magis tamen calidiori expositæ viuentes, itemque cibo, potu ac motu in superioribus (ubi de diætâ & vitæ genere quædam differui) indicato modo utentes, maxima cum euphoria sentiunt ac perferunt Menses initiantes; pari ratione cum illis res constituta est, quæ vigilias moderate exercitant, quippe quibus corporis aptitudo, animique vigor tam in moralibus quam in vitalibus alacriter administrandis functionibus insigniter prolicitur, ac obfirmatur: idem etiam sentiendum est de iis, quarum animus diversis pathematibus, gaudio, amore, hilaritateque obsessus est: sub tali enim animi constitutione parum auctior exortitur massæ sanguinæ commotio, qua singularem illam nanciscitur fluiditatem; cæteroquin animalia ut & vitalia negotia longe vegetius atque promptius succedunt. Eodem fere respectu & illis sequioris sexus subjectis in hac salubritate præpollentiam adjudico, quæ ordinariis excretionibus non admodum negligenter tractant; sed harum potius successum omni studio promovent: rebus namque sic stantibus debita contingit non solum

C

humo-

humorum depuratio, crassarumque substantiarum recta eliminatio ac defecatio, ut hac ratione non modo puriores, fluidiores, & ad actualem excretionem subeundam habiliores evadant; sed etiam ipsum vitale agens heterogeneitates œconomiam vitalem valde aggravantes debito tempore ac loco congruo e corpore ejicendo adsuescit, quasi actionum excretoriarum ordinatæ administrationi, ut hinc alias, optimæ quidem qualitatis substantias, sola tamen excessiva quantitate peccantes, ac œconomix vitali onerosas, (qualis est sanguis superfluus) tempore conveniente, locoque apto ex corpore proferibat. Salubriter initiantium Mensium idoneis subjectis merito annumeranda occurrunt illa, quæ tam in generando, quam excernendo sanguine peculiari quodam gaudent consuetudine, de quibus scilicet vulgare dicterium, ita sonans: *Das bey dergleichen Leuten alles zu Blut würde, effatur, quod enim consuetudo in diversis hæmorrhagiarum effectibus producendis eximia prædita sit potestate, neminem prudentiorum prædicorum fugiet. Huc etiam refero ista, quæ per hæreditariam dispositionem præ cæteris huic consecratæ sunt salubritati: hæreditariam enim dispositionem satis potentem esse ad salubres initiantium Mensium successus & effectus causandos ipso experientix suffragio sole meridiano clarius apparet. His denique etiam, non exclusis aliis, adhuc accenseo illas scæminas, quæ a prima juventute sua perversam mendendi methodum fugerunt & abhorruerunt: nam per talem œconomia vitalis sensibilibiter alteratur, & ad diversas erroneas actiones producendas seducitur, eoque ipso ad mênstruum negotium regulariter suscipiendum inepta redditur. Contrario autem modo res procedit in illis, quæ prædictis qualitatibus destitutæ non solum existunt; quin imo sæpius iisdem e diametro adversam degunt*

degunt vitam, ut hac ratione fieri aliter haud possit; quam quod alienis his circumstantiis sinister quoque Mensum initiantium emergat effectus.

§. XVII.

Posteaquam vero de subjectis præ aliis in salubritatem hanc propensis verba quædam feci, placet nunc secundum ordinem in præmio indigitatum, ipsam salutarium effectuum primordii Mensum generalem aggredi relationem: generalis igitur incitii Mensum salubritas præcipue se se manifestat generalium causarum morbificarum sublato, indeque provenientium morbosorum symptomatum extinctione: hinc videmus etiam, quod idem partim superfluum & onerosum sanguinem per congruas vias eliminando, ejusdemque dyscrasiam & vitiosam consistentiam emendando ac meliorando; partim quoque anomalias istius commotiones temperando ac compefcendo plurimorum constituat præviorum morborum finem. Id circo initium Mensum non modo 1) tales molestias, quales puellæ sine singulari quidem sanitatis offensa ac dispendio experiuntur, ex quibus nihilominus tamen multum incommodi ac impedimenti in moralibus æque ac domesticis actionibus rite expediendis sentiunt; sed & 2) alias fonticas afflictiones, sanitatem earundem non parum labefactantes e corpore illarum proferbere, docemur. Priorum classem quod attinet, in omnes notum est, ætioris de reliquo temperamenti fœmellas in insolitum quendam animi torporem, segnitiam & aliquatam in somnum proclivitatem incidere, ut exinde adstantes perquam grave sanitatis periculum iisdem ominari audeant, quod etiam sequentibus verbis non raro exprimere solent: es siehe dergleichen Leuten eine gefährliche Krankheit bevor, oder, es hanæ ihnen etwas großes an; a quibus tamen omnibus molestis hisce invasionibus pri-

mo menstruæ excretionis accessû statim liberatas & in pristinum animi vigorem se restitutas deprehendunt; sic earundem quædam gravativis sæpenumero totius corporis sensationibus, post prægressos mitissimos motus (quas non raro plenariæ virium jacturæ ac debilitationes excipiunt) afficiuntur, ut hinc non infrequenter exclamare cogantur: es wäre ihnen nicht anders, als ob man ihnen alle Glieder zerfchlagen hätte; quibus autem perceptionibus adversis superveniens primordium Mensium optime finem imponit: nec pauca harum inveniuntur, quæ frequentibus corporis peripheriæ angustatoriis opplecionibus vexantur, facillimeque sanguinis ebullitionibus ac spumescentiis obnoxia sunt, quarum pariter remotionem per primam Mensium eruptionem pro voto assequuntur: porro quoque nonnullæ puellarum copiosis, eisque incommodis sudationibus vel ex toto corpore, vel ex peculiaribus ejusdem partibus, (ut pedibus, manibus, locis subalaribus, ac genitalibus) vel quovis anni, vel certo saltim ejus tempore, (ut vernali, autumnali &c.) erumpentibus, non raro foetorem spargentibus & insignem in cute pruritum post se relinquentibus aggravantur, contra quas nihilominus tamen incitans fluxus menstruus præsentaneum sæpe constituit auxili-um, id quod ante aliquot annos in puella decimum sextum ætatis annum agente annotare mihi ipsi in patria mea licuit, quippe quæ vernali tempore præ sudoribus talibus hircum quasi olebat, ut aliorum hominum consuetudinem, ob abominabilem istum foetorem, tam pertinaci perseverantem, continuatione per prædictum temporis spatium, fugere opus habuerit, & qui sudores nullo etiam debellari potuissent medicamentorum genere, donec ipsum anno decimo octavo menstruum prospere in eadem successerit negotium, quod omnem eorum fomitem e corpore misera nostræ secum

secum eduxit: præterea etiam vice plus simplici observandum occurrit, quod non exigua puellarum pars floridum & athleticum alias aspectum præ se ferentium luridam posthac larvam induat, & habitu corporis pallido, livido, tumidulo, frigido, maculis latis, flavescens, vel etiam atropurpureis (quarum priores die Leber-Flecken vulgus appellat) notato corripiatur; quamprimum vero purgationis menstruæ initium legitimum ingruit, omnia hæc adversa pathemata mox evanescere incipiunt: item, quando ex virginum cohorte quædam vertiginosis capitis temulentis affliguntur, ut ob harum præsentiam neque internorum neque externorum sensuum officium debito modo administrare possint; vel, si aliquæ ex harum classe pectoris quibusdam angustationibus, liberam aeris attractionem inhibentibus, extorquentur, quæ præcipue tunc temporis sensum earundem incurrunt, quando acclivia loca ascendere se accingunt; vel si quædam illarum frequentes abdominis inflationes, ac intestinorum volutationes patiuntur, vel etiam quædam appetitus dejectione & nauseabundis conatibus obrutas se profitentur; vel si in quibusdam ante primam Mensium eruptionem, præcedente nimirum aut spissitudine humorum, aut strictura partium, salubri huic excretioni obicem figente, transitoria quædam dolorifica pathemata, ut tenforia, strictoria, lancinatoria, distensoria, ardentia, pungentia in abdomine, regione inguinum ac lumborum, ut & in reliquis cum Vena Portæ connexis partibus se manifestant, quæ ut plurimum eo usque perdurant, donec prima vice mensstruus effluat sanguis, cujus effusione non modo hæc, sed & in antecedentibus indicata symptomata exacte finiuntur. Non secus res procedit in aliis, quæ in corporis extremitatibus molestum, formicantem, ac fremebundum percipiunt sensum,

sum, ut hinc sequentes Medicorum auribus exponant querelas, quando in vernacula dicunt: es lauffe ihnen in diesem, oder jenem Gliede nicht anders, als ob Ameisen darinnen wären; quæ tamen ingrata & dolorosa sensationes cum fluxu initiante menstruo sæpius minuuntur, uti idem ex propria annotatione afferere possum, dum haud ita pridem puella quædam nobilis profapia in patria mea sensu tali fornicante ac fremebundo in pedibus tam vehementer divexabatur, Medicos ut consulere oportuerit illam, frustraneo tamen cum successu; cum autem præterlapso anni dimidio Mensium fons aperiebatur, hic iterum sua sponte derelinquebat afflictam; denique aliquando etiam accidit, ut puellæ de reliquo sanæ tempore nocturno vel somni inquietudine, vel terrificis ac horrendis defatigentur insomniis, ut exinde corporis marcor subsequatur; simul ac vero initium Mensium regulari & salubri suo successu appropinquat, singula hæc animi illarum deserunt, ut sic pristina iterum fruantur dormiendi integritate. Posteriorum autem quod concernit numerum morborum, sciendum omnino est, quod primarium in eo hæmorrhagiæ obtineant locum: ex medica nimirum observatione luculenter patet, corpus humanum actualibus sanguinis excretionibus non infrequenter ægerime affici solere. Nam licet quædam hæmorrhagiæ ratione finis nihil portendant mali; nihilominus tamen respectu sinistra applicationis, tam quoad incongrua loca, quam quoad inadæquata tempora, & irregulares successus multas pariunt molestias; ut idem conspicimus in hæmorrhagia narium, de qua in proœmio asserui, non parum illam in multis subjectis consulere sanitati, quando vero hæc incongruo prorumpit tempore, quo v. g. subjecta hanc patientia vel aliis negotiis implicita observantur, ut in horum expeditione haud exiguum inde



inde sentiant incommodi ac impeditenti, vel quando hæmorrhagia narium tali tempore subjecta sequioris se-  
 xus eruptione sua invadit, quali per ætatis rationem ob  
 majorem proclivitatem in aliam hæmorrhagiarum con-  
 gruarum speciem, menstruam scilicet, ad hujus succes-  
 sum indisposita aqualiter existunt, tunc contingit, ut  
 multas prurptione sæpe secum conjunctas habeat do-  
 lorosas sensationes. Quapropter si puellæ aliquando  
 hæmorrhagiis talibus morbofis onerantur, non raro  
 per initium Mensium ad pristinum sanitatis reducun-  
 tur vigorem. Præter ipsas autem hæmorrhagias ex po-  
 steriorum numero & molimina harum, ut congestio-  
 nes, inflammationes, rheumatismos, nonnullosque ita  
 dictos catharrales affectus, item diros illos spasmodicos  
 ac convulsivos insultus corpus puellarum non leviter  
 excruciantes, reliquasque motuum exaltatas admini-  
 strationes, ut febres, aliosque motuum se- & excretorio-  
 rum excessus vel penitus sufflaminare, vel ad minimum  
 mitigare prima menstrua eruptio assolet; Sicuti vero  
 hæc ad excessiva motuum vitia consopienda præstans est  
 auxilium; ita & pari modo in talibus morbofis afflictio-  
 nibus, quales defectu motuum stipata, validum sat con-  
 stituit adjumentum: hinc videmus, quando in puel-  
 lis quibusdam plenariæ motuum amissiones occurrunt,  
 quod eadem perfectam motuum resuscitationem per  
 initiantem Mensium fluxum iterum recuperent; vel  
 quando earundem quædam ex motus Tonici debilita-  
 tione, viscerum obstructionibus, in perfectas non raro  
 indurationes vergentibus subjiciuntur, ut inde enor-  
 mia pullulare soleant morbofa symptomata, quæ ut  
 plurimum tam diu perdurant, donec ipse menstruus  
 promanare incipiat fluxus, in quo omnia prædicta pa-  
 themata una cum causis suis afflictas deferendo ulti-  
 mum quærunt terminum: nec non morbi ferosi, ulcera  
 manan-

inacantia, cacocœthea haud parum ex eodem levaminis hauriant. Tandem quoque morbis in iniciante fluxu menstruo exitum quærentibus annumerari merito debent non pauca moralium functionum læsiones, imo perfectæ confusiones ac perturbationes; interdum enim fœmellæ maniacis, melancholicis, aliisque crudelibus ac rabidis immerse observantur furoribus, qui interdum in illud tempus perennant, quo menstrua excretio primas subit eruptionis vices; qua cum omnes ab iisdem gestatæ furibundæ actiones cessant, ut posthac tales pristinis iterum integritatis animi inclusæ cancellis secundum sanæ rationis normam degere valeant vitam.

§. XVIII.

Quo autem observationis hujus nervus eo magis eruatur, provolvor nunc ad specialem historicam hujus thematis explicationem, & ante omnia perpendere allaboro, quinam fonticorum morborum præ reliquis per iniciantem Mensium fluxum facilioris sint remotionis. Quamvis plurimæ morbidarum afflictionum sub prædictis generibus comprehensarum per initium Mensium a tenero puellarum corpore arceri soleant; attamen quædam earundem præ aliis facilius per illud sanantur: hinc apparet, quod illi morbi, qui cum objecto menstruæ excretionis arctiorem ac proximiorum fovent connexionem, longe expeditioris sint solutionis. Propterea etiam morbi sanguinei, ut hæmorrhagiæ, congestiones, inflammationes, febres sanguinæ &c. aliis non obstantibus circumstantiis facillime, simplicius serosi autem morbi, alique tardius a primitiis solvantur mensium; ideoque nunc perlustrare placet, quænam ex hæmorrhagiarum genere salubritati huic præ cæteris obtemperant! Illos, qui ægrorum re-stitutioni insudant, latere non posse existimo, quod ali- quando

quando quædam subjecta menses nondum perpetua diversis hæmorrhagarum affliguntur speciebus, quæ quidem ratione locorum, per quæ erumpunt, forte congruæ dicendæ, interim tamen ratione successus insignibus eadem exponunt periculis, quod sæpius annotare licet de hæmorrhagia narium, quæ quandoque singularibus capitis doloribus, venarum faciem perreptantium inflationibus concomitantibus, aliisque totius corporis modestis perceptionibus, puellas quasdam invadit, prætereaque successu suo nimio vires earundem ita prosternit, ut mortuorum instar Lipothymicis, imo Syncopticis sepulta humo incumbant, recurribusque suis vel periodicis vel irregularibus tam diu sæviant, quamdiu menstrua delitescit excretio. Parili modo res constituta est cum vicariis ac anomalis narium hæmorrhagiis, quæ ex vicinis nari partibus, ut oculis, auribus aliisque faciei locis interdum erumpunt, quando ordinaria narium sanguinis stillicidia vel ob paulo provechiorem ætatis terminum, vel præviam suppressionem, vel alias propter causas ad plenariam devenerunt subsistentiam ac cessationem, aut saltem in impeditiorem delapsæ fuerunt successum: hinc accidit non raro præsentem sanguinis ubertate, ventilationem urgente, ut ex erronea methodo eandem prosequatur agens vitale, & cum semel pro sanguinis depletionem instituenda erroneam sibi hanc elegerit viam, usque eo tandem illam pro hoc scopo obtinendo satis idoneam retinet, dum meliorem sponte invenit, aut commodiorem per artem demonstratam acquirit; id quod etiam in puellis tunc temporis contingit, quando ordinariam prima vice incurrunt excretionem menstruam, uti idem innumerarum puellarum testimonio luculenter confirmari possit, quod etiam prædicorum multi ex diligentiori animadversione fecerunt, quorum

D

haud

haud exiguum *Dn. D. Praeses in Lexico suo reali* observationum medicarum passim adduxit numerum. Ad morbos per initium Mensium sanabiles ex hæmorrhagiis pertinere sputum cruentum inquam, quod frequenter occurrere solet, multumque iisdem infert detrimenti, dum salivam ad concoquendos cibos maxime necessariam pro asservatione ac deglutitione inutilem plane reddit: his porro annumeranda est hæmoptylis, vomitus cruentus ac mictus cruentus, quæ afflictiones morbidæ miseræ æque interdum ante primam mensium promanationem corripunt virgunculas, iisque multum minantur periculi, ut sæpius juniorem amittere cogentur vitam, nisi per initiantes Menses iisdem consuleretur, ac earundem graviter admodum labefactata sanitas iterum obfirmaretur, & erigeretur: nec non fluxus hæmorrhoidalis, quo itidem puellarum quædam non parum oneris persentiunt, referri huc meretur; siquidem eundem ut plurimum sensus ardens, premens, aliaque in intestino recto obvia gravativa symptomata concomitantur, quæ sapissime vel excessivus vel defectivus successus excipit, ex quo utroque statu magnis de novo rursus exponuntur miseriis. Quod autem hætenus de supra indicatis hæmorrhagiarum speciebus dixi, idem etiam valet de subordinatis earundem sanguinis excretionibus, quas puellæ ex diversis corporis partibus experiuntur, ut, e.g. ex mammis, (*conf. Amat. Lus. Cent. 2. cur. 21. Parvus L. 23. c. 52. Franckenau Sat. Medic. p. 243.*) locis subalaribus, umbilico, regione inguinali, pedibus manibusque &c. *conf. Lexic. reale Dn. D. Praesidis*, id quod mihi ipsi dum temporis, quo manu ductione fidelissima Prædici cujusdam in patria mea celeberrimi *Dn. D. Donaveri* fruitus sum observare contigit in puella quadam rusticæ stirpis, ætatem XIX. annorum agente, quæ insignibus corripiebatur mammarum titillationibus,

nibus, ut easdem fere unguibus dilacerare coactam se-  
 viderit; cum autem tertio die matutino satis tempore  
 lectum derelinquebat, singulari affligebatur tussiculosa  
 commotione, istiusque titillatorix sensationis mira ad-  
 auctione, quæ tam firmiter ad decimam usque meridia-  
 nam horam continuabant, qua ex dextra mamillarum  
 papilla singulari cum impetu sanguis profiliit, ut repente  
 accedente animi deliquio lectum rursus petere illam o-  
 portuerit; præterlapso triumseptimanarum spatio su-  
 pra indicata Symptomata de novo recruduerunt, & sic  
 in vigesimum ætatis annum pristinam luserunt tragædi-  
 am, quo tandem prima superveniente Mensium eruptio-  
 ne plenario cessarunt.

§. XIX.

Perspecta itaque initii Mensium salubritate, quam  
 in hæmorrhagiis removendis nobis ostendit, converto  
 me nunc ad ulteriorem pensitationem ipsius, & per-  
 scrutari suscipio, quanta eadem sit in moliminum harum  
 extinctione. Quemadmodum hæmorrhagarum haud  
 exiguus in praxi medica occurrit numerus; ita etiam  
 molimina earundem haud angustum in eadem implent  
 spatium, ut numero priores propemodum superent;  
 siquidem plura eorundem unicam ut plurimum respice-  
 re solent hæmorrhagiam. At, quanguam ingens sit  
 eorundem numerus; interim tamen idem nullam in se  
 complectitur speciem, quæ ab initio Mensium haud re-  
 moveri posset, ipsaque testatur experientia, quod tam  
 illa hæmorrhagarum molimina, quæ superiores excruciant  
 corporis partes, quam ista, quæ inferiora, ac cum Ve-  
 na Portæ consensum foventia loca & regiones ægre affici-  
 unt, exoptatum in eodem adipiscantur exitum: hinc  
 annotandum merito est, quod primitivæ Mensium non  
 solum capitis dolorosis afflictionibus, ut cephalalgix  
 sanguineæ & ferose, iliaco-hæmaticæ, apoplexiæ  
 pro-

prodeunt, cephalæ, hemicranæ, phrenitidi, ophthalmiæ, oculorum lippitudini, cataractæ, oralgia, aurium tinnitui & auditus gravitati ac surditati, odontalgia, affectibus soporosis, vertigini, coryzæ, Phlegmatorrhagiæ, gravedini, broncho diversisque capitis efflorescentiis, item parotidum inflammationibus, tonsillarum, aliarumque glandularum colli tumentibus inflationibus, nec non anginodeis ejusdem angustationibus; sed & reliquis thoracis, abdominis inferiorumque extremitatum molestiis, cardialgiæ, phthiseos initiis, palpitationi cordis, rheumatismo, pleuritidi, asthmaticis diversæ speciei incommodis, tussi, in specie vero hypochondriacæ, malo hypochondriaco, hysterico, splenetico, fluxui hepatico, & initiati scirrhi hepatis ac lienis, colicæ hæmorrhoidali, venarum cruralium varicosis intumescentiis, ac in earundem confiniis oborientibus inflammatoriis, vel erysipelaceis, vel phlegmonodeis afflictionibus; prætereaque diversis præternaturalibus corporis quibusdam excrecentiis ac concrementis, ut polyponarium, cordis, apthiis aliisque his similibus spongiosis diversa corporis loca occupantibus, & externum corporis habitum non raro depravantibus propullulantibus protuberantiis optime aliquando medeantur, uti idem pariter variarum puellarum exemplo confirmari possit, quod tamen temporis penuria facere in presentiarum interdicit, & unica nos contentos esse jussit observatione clinica, quam ipse ex praxi jam laudati viri *Dn. D. Donaueri* annotavi in virgine anno XVIII. proxima, bonæ educationi & laudabili vitæ generi adsueta, temperamenti phlegmatico-sanguinei mensis nondum experta, ante annum tempus chlorosi laborabat, inappetentia, sequebatur lassitudo artuum & contabescencia, respiratio reddebatur laboriosa, anxio cum sono asthmatico, tandem accedebat cædo.

oedematosa tumescencia pedum per suras ascendens, quæ, si major erat, circa pectus melius se habebat, & respiratio erat liberior; e contra, si minor eadem reddebatur, repellentia per remedia ab aniculis commendata exterius applicata: talibus itaque remotis, substitutis, præter calorem externum, transpirationem moderate promoventibus, tonum leniter roborantibus externis, & per interna, individualibus circumstantiis respondentia Mensium fluxum invitantia remedia per aliquot tempus usurpata, sic tandem proveniente fluxu menstruo communi, & in futurum continuante, eodam liberata est hæc persona a morbido suo affectu.

§. XX.

Cum in antecedentibus salubritatem incipientium Mensium in morbis congestionibus stipatis se se exerentem perlustravi, transitum nunc facio ad spasmos, ut inde penitus paulo inclarescat, quinam eorundem salubritati huic sint obnoxii. Multis enim spasinis frequenter sæpe obruitur puellarum cohors, & ipsa testatur experientia, quod iidem haud raro excipere solent in puellis prægressas congestiones: dum enim vitale agens levioribus motuum gradibus finem suum propositum impetrare nequit, auctioribus sæpe idem efficere conatur, & hinc spasmodicis stricturis adversum sibi objectum e corpore ejicere tam pertinaciter intendit, ut fere nullo ab irregulari hac methodo abigi possit remedio; quale quid præcipue quoque contingit in quibusdam sexus sequioris subiectis, quæ pari modo ut congestionibus; ita spasmodicis angustationibus exponuntur, ut hinc quædam earundem pleuriticis, quædam arthriticis veris & nothis, aliæ ischiadicis, podagricis, nephriticis simplicioribus, aliæ vero actualibus convulsivis motibus afflictæ medicum sibi expetere optus habeant auxilium, quod tamen ut plurimum tan-

tæ haud est utilitatis, quantam quidem miseræ de eodem mente sibi conceperunt, & experiuntur potius non modo supra indicatorum morborum nihil levaminis; quin imo satis notabilem illorum exacerbationem illabuntur, quam indies accrescentem ad ultimum usque vitæ spiraculum retinerent, nisi menstruus rite innitians fluxus miseræ ex eadem eriperet, uti idem ex subnexo casu luce clarius conspiciendum est: opulenti Melancholico-Sanguinei solitarium & sedentarium vitæ genus amans, ad iram proclivis, laudabilia usurpans alimenta, quoad potum vero in defectu peccans post 10. ætatis annum tam quoad caput cephalalgicis, hemicranicis, quam quoad pectus angustatoriiis & in abdomine torminosis passionibus frequenter vexabatur, idque per aliquot præcipue dies, singulis mensibus successu temporis valde augebantur hæc pathemata, licet celeberrimæ famæ Medici consiliis & auxiliis nimis fere numerosis adfiterint, & tandem illis sociabantur convulsiones magis magisque conspicuæ, singulis noviluniorum periodis repetentes, quæ subinde postea extra dictum tempus, præcedentibus iræ exacerbationibus excitabantur: hinc & motibus convulsivis & reliquæ ægritudini opponerentur medicamenta, quæ convenire quidem, & malum imminuere; sed omnimode extirpare haud valebant, usque dum 15. annum superatum Mensium sponte inchoans fluxus omnium accusatorum symptomatum finem faciens infallibile dedit testimonium, quanta affinitate negotium Mensium dilatatorum cum hoc malo habuerit connexionem.

§. XXI.

Præter supra indicatas spasmodicas afflictiones reliqua quoque in auctioribus motibus consistentia pathemata, quibus puellarum quædam Mentes nondum per-



peſſæ corripuntur, initio horum exſtirpantur, ut, quando v. g. aliquæ foemellarum frequentioribus ſpontaneis vomitionibus afficiuntur, *conſerat. Dominic. Panerol. Roman. in Pentecoſt. obſ. medic. XXII. p. 26. Pentec. I. de Menſibus per vomitum excretis poſt eruptionem legitimam ventriculum deſerentibus*: quæ tunc temporis inprimis in conſpectum prodire, & exacerbari obſervantur, quo alias ordinaria menſtrua excretio prorumpere ſolet; vel quando aliquæ ex iisdem ſingularibus ardentibus ſenſationibus e dextro ventriculi latere e fundo in Oeſophagum aſcendentibus, quibus interdum ſingultuoſæ diaphragmatis commotiones inſequuntur, moleſtantur; vel ſi aliæ ex harum claſſe ſtrictorii, tenſorii, lancinatorii in inteſtinorum tractu torminibus aggravantur; vel, ſi aliæ illarum periodicis quibusdam ſerolis aut ſanguinis alvi fluxibus (quos prædicti inteſtinorum dolores ple- rumq; vel antecedunt, vel concomitantur) corripuntur. *conf. A. N. C. dec. 2. ann. 5. obſ. 57. it. ann. 8. obſ. 216.*

§. XXII.

Porro quandoque accidit, ut etiam virgunculae tales febrilibus quibusdam commotionibus, perfectum ſæpenumero typum ſervantibus ſubjiciantur, quæ ſuis recurſibus ægrotantes tam quoad corpus, quam quoad vires ita depauperant, ac debilitant, ut debitis rite invigilare haud queant domeſticis ſuis negotiis; id quod in ſpecie dicendum de febribus illis tanguineis, ut Ephemera, Synocha ſimplici, febre inflammatoria, catharrali benigna &c.; quibus tamen omnibus per primam menſtruum purgationem vice plus ſimplici optimam & præſtantiffimam afferri medelam, expertum habent miſeræ.

§. XXIII.

Dum hæcenus Menſium initiantium ſalubritatem in illis perluftravimus morbis, quorum præcipuum fundamen-

clamentum motibus adauclis vitalibus inest; ita nunc eandem in animi morboſis afflictionibus, quippe quarum primarius ſons cum prioribus univocam propemodum agnoſcit cauſam, perſcrutari exordior. Nam uti puella ex irregulari & defectivo Menſum ſucceſſu aliquando furibundas produciunt actionum moralium adminiſtrationes; ita etiam parili ratione tales, quibus quidem Menſum prima imminet eruptio, quæ ad debitum tamen ſucceſſum ob quorundam impedimentorum præſentiam hæc pertinet, eaſdem ſæpius incidunt, cujus aſſerti veritatem obſervatorum teſtimonio evincere poſſem, qui hæc ſemel de puellis maniacis, melancholicis, erotomaniacis, noctambulantibus &c. per initium Menſum plenariæ priſtinæ animi ſui libertati redditis injecerunt mentionem; inter quæ unicum tamen Foreſti allegaſſe ſufficiat, quod in ſcriptorum ſuorum diverſis locis nobis offert.

§. XXIV.

Sequitur jam in ordine ſalubritas initii Menſum reſpectu morborum, defectum motuum innixorum conſideranda, quæ in hiſce morbis tanta pariter eſt, quantam quidem hæc in antecedentium morborum genere extulimus; ſiquidem ſcæminarum nonnullæ Lipothymicis, Syncopticis, Pareticis, Paralyticis, hemiplectodeis, catarrho ſuffocativo nonnunquam decumbunt; at tamen hæc omnia eo tempore, quo menſtrua exeretio prima vice promanat, ægrotantes deſerunt, eoque concedunt, quo ordinario eadem iterum uti poſſint partium motu.

§. XXV.

Reſtat denique nunc ponderandum, an initii Menſum utilitas quoque ad feri vitia ſananda quadret? Ut enim pluriæ chronicorum morborum ſpecies admodum

dum sint refractariae indolis, ut difficillime per artem penitus tollantur; interim tamen plurimis initii Mensium salubris efficacia nonnunquam satis validam affert opem: hinc videmus, quod quandoque puellarum quaedam cacochymicum, cachecticum, leucophlegmaticum, cedematosum, imo ipsum anafarcodeum, chloroticum, scorbuticum corporis habitum præ se ferentes multum per initiantem Mensium fluxum acquirant salutis, ut per eundem quandoque ad summum iterum redigantur sanitatis fastigium, quod quibusdam puellarum exemplis corroborari posset, si charta idem concederet; ex quibus tamen unicum hoc annotare libet, quod ante quatuor annorum spatium in patria subvenit in foemella XI. annos nata, cacochymici corporis habitus, pallidi aspectus, laborabat inappetentia, anxiasque circa præcordia sentiebat pressiones, post assumpta præsertim gravissimas, cor vehementer pulsabat, ut singuli pulsus visu notabiliter observarentur, in dextro præcipue pectoris latere, & in collo, quæ ipsa pulsus vehementia sensibiliber augebatur qualibet corporis commotione licet lenissima illa fuerit, subque his circumstantiis viribus validopere depauperata est, nocturna quies & somnus interceptus &c. imo ipsum corporis incrementum, quod hisce annis bonos alias facere solet progressus, impeditum, & plane in decrementum magis mutatum est; verioria equidem medicamenta passim commendata a parentibus sollicitè adhibebantur, at absque ullo fructu, donec sæpius jam laudati Prædici implorata auxilia, per DEI gratiam voto respondebant: ultra enim semestris temporis spatium optime inde habuit; sed postmodum eo frequentius recurrere dicta pathemata, quæ omnimode haud cessaverè, usque dum initio Mensium viam parantia medicamina aliquandiu in usum vocabantur, & ordinarius eorundem fluxus ex lege artis instruebatur,

E

passi-

passiones hinc omnino desiere, quæ parentibus aliisque maxime ominosæ & periculosæ videbantur, & hac ratione reliquis æque hujus generis affectibus, ut scabiosis, atrophicis, isticis corporis depravationibus, exoptatissimum sæpe numero constituit solatium.

§. XXVI.

Cum itaque tam generaliter quam spacialiter morborum per initium Mensium sanabilium conspectum historicum exhibuerim; converto me nunc ad rationes ac causalem deductionem tradendam, quo eo magis inclarescat, quod tam experientia quam ratione sit firmatum assertum nostrum: *initium Mensium finem esse morborum*, & cum in antecedentibus illum servavi ordinem, ut primo de hæmorrhagiis, postmodum de congestionibus, & sic porro quædam in medium protuli; ita etiam in hac ætiologica tractatione eodem progredi modo consultum duxi.

§. XXVII.

Hæmorrhagarum igitur quod concernit classem, sciendum omnino de iisdem est, quod primaria earundem causa inimica sit Naturæ Sanguinis ubertas, quam eadem ex diversis concurrentibus tam externis, quam internis circumstantiis per varia corporis loca eliminare, & sic ab onere hocce liberare contendit. Quemadmodum vero hæmorrhagiæ tales multiplicibus artificialibus adminiculis onerosam sanguinis plenitudinem imminuentibus (quorum optimum est actualis ejusdem subtractionis) extingui valent, illarumque recursus præcindi potest; sic idem quoque per Menses regulariter initiantes obtinetur finis, & hæmorrhagiæ illæ molestæ vel exsuperioribus vel ex inferioribus corporis partibus succedentes, longe expeditius sufflamantur, quoniam non modo per illas infensa hæc sanguinis ubertas et loco pro excretionem hac satis idoneo ejicitur; prætereaque causa hæmor-

hæmorrhagiarum activa loco huic excretorio naturali, ex naturali ordine adfuecit, & ex hac consuetudine priora loca iterum derelinquit, & cum de reliquo tali tempore singularis in puellarum corpore motuum alteratio, variorumque organorum mutatio animadvertitur; illa mediante quoque aliorum minus congruorum locorum desertio mirum in modum acceleratur, & sic recursus talis hæmorrhagiarum præoccupatur.

§. XXVIII.

In prægressa historica relatione verba insimul quædam feci, de utilitate initii Mensium in congestionum genere eradicando conspicua, idemque rationi maxime consentaneum esse, ex subsequentiis liquebit: quod si enim earundem originem accuratius paululum subtrutinam vocemus, tunc eandem in massæ sanguineæ anomalia commotione latentem deprehendimus, qualem vitale agens nulla alia ex ratione instituit, quam ut solidi sanguinis eliminationem perpetuet, quam vero ex diversarum circumstantiarum præsentia pro voto assequi nequit, ut hinc necesse habeat congestiones humorum ad alias corporis dirigere partes, ibidemque ejusdem exonerationem urgere, quibus hæmorrhagicis conatibus tam diu sæpe pertinacissime insistit, donec aliquando scopum suum tam sollicitè desideratum, impetraverit, quo denique omnia hæc molimina hæmorrhagica acquiescunt, & tranquillantur; id quod commo- distime per primam menstruam eruptionem supervenientem perficitur, quippe qua omnis in corpore puellarum subortus sanguinis hæmorrhagiam actualem respiciens affluxus intercipitur, atque contemperatur.

§. XXIX.

Eadem ratione initium Mensium puellarum quarundam inflammatorios prægressos morbos ad feliciorum disponit exitum. Nam dum sanguinem superflu-

um tanquam singulare actus hujus discussorii impedi-  
mentum e medio tollit, inflammationis citiorem reso-  
lutionem promovet, dum vero hostem œconomix vi-  
talis sæpius jam jam indicatum, sanguinis superfluam co-  
piam puto, ex consensu ejusdem proscribit, atque expel-  
lit, illius infimul resolutus infringit.

§. XXX.

Non autem solis his morbidis afflictionibus utilitas  
primordii Mensium propria existit; verum etiam ean-  
dem toti spasmodum generi communem ex rationis lu-  
mine ad judicandam esse, censeo: siquidem ipsam eo-  
rum causam, superfluam scilicet sanguinis copiam, ejus-  
que vitiosam consistentiam suffocat, ac demeliorat, eo-  
que expedit, quo horrendæ illæ motuum exacerbatio-  
nes conspiciantur, ut sic sublata causa effectus quoque  
tollatur. Æqualem fere initii Mensium salubritatis gra-  
dum in reliquis auctiori motuum administratione con-  
sistentibus afflictionibus annotavi; multæ enim puella-  
rum vehementi sæpe vomitione, soda, singultu, aliisque  
in hypochondriis ac intestinorum tractu se se exferenti-  
bus strictoriis, tensoriis, punctoriis, lancinatoriis dolo-  
ribus, (quos aliquando actuales serosi alvi fluxus vel an-  
tecedunt, vel comitantur) exeruciantur, quo frequen-  
tissime non nisi nuda molimina plenariam sanguinis eru-  
ctationem in ventriculum, aut in ipsam intestinorum  
cavitatem effusionem mimitantia cum prima vice pro-  
rumpentibus Mensibus ultimam hac ex ratione subeunt  
continuacionis terminum, quoniam initium sanguinæ  
hujus excretionis principii vitalis intentioni assatim sa-  
tisfacit.

§. XXXI.

Pari passu cum Febribus præcipue sanguineis, ut  
Ephemera, Synocha &c. res constituta est, quæ a Natu-  
ra idcirco instituantur, quæ plethorica corporis con-  
stituta.

sticatio per imminutionem a nocendi sua potentia arceatur, quando autem huic commodior subministratur per Mensium initium via, actus febriles illos reiterare prorsus abstinet.

§. XXXII.

His morbis finitima sunt animi morbosa pathemata, de quibus in antecedentibus asserui, quod etiam illorum morborum censum incurrant, qui primitiis Mensium, ni plane suffocentur, notabiliter tamen mitigantur: quo autem & hujus phænomeni ratio innotescat, annotandum est, quod triplici ratione idem perpetretur; siquidem tales morbi ex triplici communiter progerminant fonte, quorum alterum superflua humorum copia, alterum vero vitiosa eorundem consistencia, tertium irregularis motuum administratio constituit: cum vero initium Mensium ea ratione, qua superfluum sanguinem imminuit, eoque spiffescentiam corrigit, ac incarcerationes subnatas dissolvit, motuumque vitalium tergiversantium alterationem proliciat, menti puellarum insanæ pristinum iterum sanæ rationis reddit usum.

§. XXXIII.

Allegandæ jam veniunt causæ, propter quas motuum defectiva vitia eidem salubritati dicata statumina, quæ cum prioribus in unum collimant scopum; sicuti enim ad hos quoque affectus curandos sanguinis depletio, motuumque alteratio imprimis vero resuscitatio requiritur, quæ duplicia summe necessaria requisita, optime Mensium subministrant primitio.

§. XXXIV.

Agmen denique in causali hac relatione morbi serosi claudunt, de quibus sciendum ante omnia est, quod difficilius longè istis, quorum in superioribus mentio facta, per salubrem huncce fluxum initiantem auferuntur: illis enim non tam vitiosâ quanti-

tas & sola consistentia; sed qualitas potius alterata culpanda occurrit, & cum per initium Mensium positiva depravata istius qualitatis emendatio ex amissum haud speranda sit; ita plenaria multo minus horum morborum extirpatio expectanda; interim tamen, quando sub eorum presentia Mensium initians fluxus se rite sistit, multum in eosdem redundat ex illo levaminis: nam per eundem a sero pessundata massa sanguinea aliquo modo acceleratur correctio, ejusdemque per partes porosa - cibrosas promovetur progressio, se- & excretionum quoque ordinatus facilitatur successus, ut hinc humores puriores atque fluidiores fiant, quo tandem medicis adhibitis auxiliis eo citius debellantur.

§. XXXV.

Antequam tractationi huic colophonem imponam, meam esse partium reminiscor adhuc indicare, quomodo salubris hujus excretionis initians successus tam per remotionem huic remotionem obstantium obstaculorum, quam per positivam promotionem allevari, ac exinde emicandi utilitate, anxie eandem flagitantes puellæ eo citius ex voluntate frui queant.

§. XXXVI.

Quapropter nunc ad obstacula prius depingenda calamum admoveo; quæ in positiva & privativa commode dispescuntur.

§. XXXVII.

Quorum inter priora primarium occupat locum, defectus virium abigendi, humorum congestiones versus uterum dirigendi, eosque ibidem expellendi: qui scopus præcipue in valetudinariis valdopere exhaustis, extenuatis aut phlegmaticis, in quibus ad omnes actus inæpta Natura est, occurrit annotandus. Secundarium autem erronea motuum applicatio sibi vendicat locum, quando scilicet commotiones menstruam primam excretionem respicientes aliorum deflectunt, & anomalia hæc administratione causantur, quo expectatum Mensium initium recte succedere nequeat.

§. XXXVIII.

Ex privativorum classe in frontispicio quasi collocata est famosa illa depravata humorum excernendorum consistentia atque crassa,



crasis, eorundemque insufficientis quantitas. Alterum e contratio partium sive viarum, per quas humores transprimendi nimia constituit strictura, quæ impedit, quo minus humores penetrare per easdem valeant. Tertium, idemque privativorum obstaculorum ultimum est illarum obstipatio, ab extrinseca ut plurimum pendens causa, quam vel mola, vel consolidatio post ulcerationes, variæ excrescentiæ vel uteri cervicem & orificium, vel vaginam ejus obdurantes suppeditat.

§. XXXIX.

Indigitatis hac ratione obstaculis initio Mensium salubri obicem figentibus, remotio nunc eorundem indicanda venit, quæ triplici maxime instituitur methodo pharmaceutica nempe diætica & chirurgica.

§. XL.

Priorum ergo positivorum obstaculorum ablationi adæquata ex foro potissimum pharmaceutico ac diæterico, petita extant remedia; eorundemque primum excitationem motuum, ultimum debitam horum directionem, ac in ordinariam viam reductionem, tam invitatione derivatoria, quam cohibitione repulsoria ab illo loco, ad quem in detrimentum hujus excretionis directi perpetrandum exigit.

§. XLI.

Priori indicationi, motuum resuscitationem pro fundamentum habenti, remedia nervina, balsamica humorum massam blando suo sulphure leniter commoventia, eoque nervis robur adaugentia, ut herbe sic dictæ nervinæ, cephalicæ, uterinæ &c. satisfaciunt: pro ultimo autem scopo, ordinatam motuum directionem concernente adimplendo optima fons chirurgicus objicit auxilia, & consistunt præcipue in VSione & Scarificatione inferiorum partium circa eminentiores Lunæ Phases administrata, frictiones quoque & diversa balnea tunc temporis instituenda, quo apparatus quidam ad negotium Mensium exsurgunt; porro pediluvia, stimulo præsertim salino acuata, remedia blande laxantia, fatus, & suffimigia &c. hic non incommode adhibentur.

§. XLII.


§ XLII.

Privativorum aunc sequitur subjugatio, & tam illorum, quæ humores attingunt, quam quæ in viis sese ostendunt: inter priora ante omnia humorum spissitudo, viciosa crasis ac insufficientis quantitas refertur, quem in finem partim attenuantia, & humorum massæ debitam iterum fluiditatem conciliantia; partim solventia ac ejusdem depurationem promoventia; partim nutritia, & humorum massam adaugentia profunt. Reliqua adhuc privativorum obstaculorum, quorum alterum in viarum strictura, alterum in extrinseca earundem obstipatione hæret, medicis nunc quoque e medio tollenda sunt auxiliis: priorem quoad respectum, stricturam talem relaxantia ac demulcentia tam externe quam interne præscribenda sunt, & quidem interne temperantia, cinnabarina, Nitrosa ac leniora anodyna, vel Ess. temperantes ac leniores sedativæ, emulsiones ex sem. & aquis demulcentibus paratæ, aliæque his similia medicamina; ad externa autem infusus ex herbis & rad. emollientibus compositi, pessaria ex ejusmodi speciebus collecta, injectiones per metrenchytam, vel denique Glauberi clysmata uterinum vaporosum &c. pertinent. Obstipationi denique illarum gratificandi chirurgica imprimis adminicula adhibenda veniunt, quibus illa objecta hanc proritantia auferantur: cæterum tali in molæ præsentia & interna quædam pellentia circumspicte ac prudenter propinanda sunt, quibus merito annumerandæ pil. Balsam. Stahl. & Becher.

§ XLIII.

Præstitis igitur in Procœmio exhibitis promissis nihil amplius addendum esse arbitror, quam quo Numen Divinum submissis precibus, ut in futuris practicis conatibus, sicuti hucusque a latere in hi fuit, in posterum assistere, eosque in sui ipsius gloriam proximique salutem dirigere velit.








00 A 6405

ULB Halle 3  
002 913 283



80





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**INITIO MENSIIUM  
FINE MORBORUM,**

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiöse Facultatis Medice*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO,  
MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.  
COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*  
**PRO GRADU DOCTORIS**

*Summisque in Medicina Honoribus & Privilegiis Doctoralibus legitime impetrandis,*  
HORIS LOCOQUE CONSVETIS, ANNO MDCCXXVII. D. DECEMBR.

PUBLICAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
AUCTOR ET DEFENDENS

**JOHANN ADAM HARTMANN BREBISIUS,**  
MÜNCHBERGA - BARUTHINUS.



HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.

